



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 24. Ejusdem Myst. punct. 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

## MEDITATIO XXIV.

De condemnatione, & crucifixione JESU  
Christi. Joan. 19.

Myft. punct. 3.

CONG. Resumatur eadem.

PRÆL. I. Quomodo Christus inter duos latrones crucifixus sit.

PRÆL. II. Constituire se in Monte Calvariæ.

PRÆL. III. Petere gratiam, penitiùs intelligendi mysterium crucis.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Christum in Monte Calvariæ inter satellites, & instrumenta necis jam paratum, ut crucifigatur.

INTEL. Consideremus quod in statu rerum tam arduo, & tam fatali, maximè emicuerit id quod prædictum est Isa. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus Sapientia, & Intellectus; Spiritus Consilii, & fortitudinis; Spiritus Scientia, & pietatis; & replebit eum Spiritus timoris Domini.* REFL. In nobis verò, quoties arduum quid pro Deo adeundum est, & *consilium, & fortitudo, & cœtera omnia* facilè deficiunt.

VOL. Petamus septem illa Spiritus S. dona, & exemplo Christi ad crucem prompti simus.

PUN-

**P**UNCTUM II. VERBA. MEM. *Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Joan. 19.

**INTEL.** Judæi clamaverunt: *Non habemus Regem, nisi Casarem.* Joan. 19. & ecce invitis, & nequidquam dissuadentibus Judæis, à Pilato Christus per illum titulum, proclamatur Rex Judæorum. **REFL.** Si offenderit titulus ille Judæos, nobis certè gratus esse debet, qui Christum pridem agnovimus Regem.

**VOL.** Imò non tantùm agnoscamus eum Regem Judæorum, sed profiteamur, quod sit *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* 1. Tim. 6. *Exaltabo te Deus meus Rex.* Ps. 144.

**P**UNCTUM III. OPERA. MEM. *Crucifixerunt eum* Matth. 27.

**INTEL.** Perpendamus Christum in sublimi cruce elevatum, separatum fuisse quodammodo à terra, & à mundo: carnem, & corpus suum, habentem cruci affixum. **REFL.** Sic nos deberemus mundum despiciere, & deserere. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Gal. 5.

**VOL.** Dicamus itaque cum Apostolo Gal. 6. *mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*, hoc esse reputo mundum tamquam latronem crucifixum: sicut ille reputavit Christum.

**P**UNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. *Crucifixerunt eum; & latrones unum à dexteris & alterum à sinistris.* Luc. 23.

**INTEL.**

INTEL. Singula in hoc crudelissimo spectaculo perpendamus: quanta patiatur Christus in brevitate vitæ, id ætatis; in ægritudine, & dolore, transfixus clavis, &c. in nuditate, & paupertate; in contemptu, & opprobriis, *cum iniquis reputatus*. Marc. 15. REFL. Nos verò delicati sumus milites sub tali Rege.

VOL. Curramus, & accedamus ad Christum crucifixum, & crucem amplectamur, proferamusque ea, quæ suggerit mens & affectus.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Circumspiciamus innumeram hominum multitudinem spectaculo huic intentam.

INTEL. Divinitas quodammodo dicit: *nondum venit hora mea*. Joan. 2. *Quomodo ergo implebuntur scriptura, quia sic oportet fieri?* Matt. 26. REFL. Sic nos quando videmus, quod peccatores, & abundantes in seculo obtinuerunt divitias, & quod justus sit flagellatus totâ die, intremus in Sanctuarium Dei, & intelligamus in novissimis eorum. Ps. 72. Mox veniet hora, quâ se manifestabit Divinitas.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Hæreamus in amplexu Christi Crucifixi.

INTEL. Recogitemus illud 1. Pet. 2. *Peccata nostra ipse pertulit in Corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus*. REFL. Sic Deus dilexit nos: Sic justitiæ vivendo diligere ipsum debemus.

VOL. Affectui indulgeamus, in amplexu crucis.

COLLOQ. Conformia.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

ME.